DE
MORBORUM SIGNIS EX FACIE PETENDIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-SEMIOTICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VIII. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS GUILELMUS PHEMEL

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

AUG. HAMMER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
HENR. JAHNCKE, REFEREND.
GUST. AUST, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

„Ὅλου δὲ τοῦ σώματος ἡ ἕξις ἐπ' ἐκείνων λέγεται μάλιστα τῶν μορίων, ὅσα θεωμένοις ὑποπίπτει πρῶτα."

Galen.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO, NOBILISSIMO

JOANNI DE WIEBEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGIS ARCHIATRO, MEDICO-CHIRURGORUM CASTRENSIUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, REGI A CONSILIIS IN RE MEDICA INTIMIS SUPREMIS, INSTITUTI REGII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI, SECTIONIS PRO SANITATE IN SUMMO RERUM CIVILIUM MAGISTRATU, NEC NON COLLEGII BEROLINENSIS REM PAUPERUM CURANTIS SOCIO, EQUITI ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE SECUNDA CUM FRONDE QUERNA STELLA INSIGNIS ET GEMMIS ORNATI, CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA, IMPERIALIS RUSSICI ORDINIS ST. STANISLAVI IN CLASSE PRIMA, WLADIMIRIENSIS IN CLASSE SECUNDA, ST. ANNAE IN SECUNDA CLASSE GEMMIS ORNATI, IMPERIALIS AUSTRIACI CORONAE FERREAE IN CLASSE SECUNDA ET ST. LEOPOLDI, LEGIONIS HONORARIAE REGIS FRANCOGALLIAE, ORDINIS REGII HOLLANDICI DE LEONE IN CLASSE TERTIA, REGII BAVARICI DE CORONA BAVARICA, MAGNI DUCATUS BADENSIS DE LEONE ZAEHRINGIO, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAEPOSITO SUMME DE SE MERITO

NEC NON

VIRO

AMPLISSIMO, BENIGNISSIMO

THEODORO KUNDE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO APUD BEROLINENSES PRACTICO, PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PROPTER FAMILIARITATEM ET HUMANITATEM ERGA SE ET SUAM FAMILIAM MAXIME VENERANDO

AEQUE AC

VIRO

OPTIMO, DILECTISSIMO

FRIDERICO ZANDER,

PATRONO ET TUTORI EXPERIENTISSIMO, RES AMORE ET AMICITIA PATERNA CURANTI

MULTOS DIES FESTOS IN DOMICILIO ET TEMPORA JUCUNDA SIBI DILARGITO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Moris est atque lex, ut, si quis summos in medicina et chirurgia honores adipisci velit, is conscribat dissertationem amplitudinis justae; negotium tantopere molestum atque anxium, ut homo doctorandus vix tolerare possit laborem. Neque enim investigatio modo materiae idoneae maxime ardua est, quod tam multae dissertationes jam ad lucem prodierunt atque iter res novas reperiendi saepissime frustra susceptum est, sed etiam thematis elaboratio immensas praebet difficultates, cum scriptor, qui adhuc in vestibulo doctrinae medendi moratur, conetur, argumentum tractare, quod clarissimi heroës et lumina artis nostrae jam doctissime explicaverunt. Qui tamen ipse his in angustiis non versatus est, ille minime gentium rei intelligere potest asperitatem. Is autem, qui hunc gradum jam adeptus est, dissertationis habitum usitatissimum ac pervulgatum non deridet, sed potius auctoris admi-

ratur constantiam et firmitatem, qua legitima verba contulit, quamquam sibi ipsi persuasum fuit, quam parum sufficientis et novi opus conscriptum praeberet? Quae res alia esse non potest! Doctorandus enim vir, themate sortibus feliciter accepto, in domicilio suo libris, qui similia tractant, circumdatus, ex duodecim operibus decimum tertium opusculum corradit; neque aliud in votis suis est, nisi ut folia legitima literis impleat. Quod eo facilius est, quo majora et meliora opera antecessorum reperiuntur; tunc enim, cum multa opera de hac materia conscripta sunt, illaeque res compilatorem quasi expectare videntur, ei fere nihil aliud excogitandum est, quam quomodo res jam prius enarratas disponat et ex vernacula lingua in Romanam transferat.— Atque equidem quoque consilium cepi, pari modo dissertationem conscribillandi; qua in re mihi id tantum solatio est, quod tam multi, qui nunc medici practici aegrotantibus auxilium ferunt, priori tempore similiter egerunt, neque quisquam talem dissertatiunculam legit, nisi typotheta et auctor ipse; fortasse etiam cognatus vel collega amicissimus titulum operis recitat et dedicationes atque percurrit prooemium thesesque et vitam!

INTRODUCTIO.

Usque ab antiquissimis temporibus homines maximam operam dederunt, ut ex facie ac vultu non solum animi et corporis in genere habitum cognoscerent, sed etiam valetudinem bonam aut malam. Ad quae perscrutanda inspiciendaque ora non fortuito adducti, sed potius incitati instinctu quodam divino et a natura ipsa nobis insito, exercitationibus continuis et ab infantia consuetis magnam hic facultatem sensim sensimque adipisci possumus. Sic puer hilares et lenes faventesque parentum vultus bene distinguere potest ab iratis saevisque; sic canis omnino ex ore intelligit imperia domini et aulicus principis sui faciem ediscit, ut ex oculis ejus »molle fandi tempus mollesque auditus« perspicere possit; sic imperitus quoque insciusque nostrae artis sibi persuasum habet, faciem esse imaginem et indicem quasi non modo perturbationum animi sed etiam interiorum corporis affectuum;

sic medicus ipse, et saepissime invitus, spem aut timorem concipit ex vultibus aegrotantis.

Neque mirum est, has corporis humani partes antiquitus praestantissima attentione tractatas esse, cum, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit enuntiare facies. Quae tamen — omnibus totius corporis organis necessario conjunctis et consentientibus, ita ut mutationes alterius etiam in altero mutationes celerrime provocent itaque ut unumquodque organum tanquam verissimum speculum totius corporis praebeat — quae inquam facies, tot instrumentis sensuum et systematibus organicis praedita observatorumque sub adspectum prima omnium cadens, praecipue idonea est et digna, quae universi corporis affectiones facunde eloquatur et probam exactamque aegritudinis diagnosin maxime adjuvet. Est enim facies musculis ita claris ac discretis instructa, ut motus ne levissimos quidem nobis obtegere possit; nervi faciales non solum copiosissimi sunt, verum etiam cum omnibus fere nervis totius reliqui corporis atque inter se ipsos anastomoses ineunt frequentissimas; accedunt variae nonnullae glandulae secernentes et organa excretoria; tum proferenda est illa nota et pervulgata conjunctio tam faciei ipsius quam singularum ejusdem partium cum ceteris corporis regionibus, quae conjunctio vel sympathica, vel antagonistica, magni momenti est in vultu morbis universalibus mutando; denique adhuc annumerari oportet instrumenta sensuum, quae ipsi faciei praecipuam plurimamque et altissimam tribuunt gravitatem. Inter omnes vero partes faciei oculi pretiosis-

sima et nobilissima sunt organa; in iis oculis jam antiqui scriptores dixerunt habitare animum eosque ut valere, ita et totum corpus. Inest oculis humanis inenarrabilis venustas, cui nemo resistere possit; saepissime nutus oculorum unus magis valet, quam sexcenta verba eloquentissimi oratoris. Loquuntur enim oculi omnibus in animi affectibus et commotionibus sufficienter et diserte; exprimuntur oculis amicitia et benevolentia; exprimuntur amor ardentissimus, veneratio, obedientia, modestia; indicant oculi iram, saevitiam, libidinem ulciscendi, superbiam, invidiam; affirmatur oculis et negatur et dubitatur moniturque atque applauditur; gaudium legunt ex oculis atque tranquillitatem animi et hilaritatem laetitiamque. Qui igitur bene intelligit, oculorum nutibus uti, is clare et definite loquitur, quamquam aures loquelam exaudire nequeunt.

Omnia haec signa et mutationes, quae in facie nobis obviam veniunt, testimonia afferunt aut sani hominis aut aegrotantis. Ita omnis physiognomia in duas partes dividitur, in physiologicam sive generalem et pathologicam. Nomine physiognomiae generalis illam artem ornaverunt observatores, qua immutabilibus faciei signis et ex firmis et manentibus lineamentis indolem et ingenium cognoscere potuerunt. Quae doctrina, quamvis a magnis et praeclarissimis viris, quales sunt: Aristoteles, Jean Baptiste Portal, Lavater, Gall, exculta, tamen adhuc in pueritia versatur, quod prioribus temporibus somniis difficillime delendis impleta et una cum astronomia dignitate sua spoliata homines utebantur ad decipien-

dos privandosque credulos. Tum lineae constituebantur, quae necem violentam significabant; ii, in quibus lineamentum Jovis in fronte bene expressum, rectum longumque erat, assequebantur magnos honores et praecipue immensas divitias; quem vero linea Veneris ornabat, is facillime artem saltandi et musicam discere potuit; aliter naevus maternus in gena sinistra situs avaritiam indicabat. Quas res tam absurdas et vesanas ut crediderint, non intelligere possumus, quomodo fieri potuerit; atque tamen et nunc physiognomonicae doctrinae pari modo falsae opiniones erroresque insunt, quae se maxime appropinquant isti priorum aetatum maniae. Fortasse posteris contigit, hanc scientiam feliciori modo ut excolant et purgent, quamquam maximam affert asperitatem, minimas varietates et discrimina indolis levissima et cognoscere et lingua enunciare, praesertim cum hac in re multa impedimenta obviam veniant perscrutantibus, qualia sunt: vestimentum et sermo, dissimulatio et priorum morborum vestigia. Attamen haec doctrina multos et uberrimos fructus adhuc carpendos promittit et rebus physicis et medicis.

A finibus physiognomonices longinque distinctae sunt illae faciei mutationes, quae ex affectibus animi illico natae, gradum et modum affecti animi indicant. Ars mimica, quae has res exercet, iisdem ex antiquissimis temporibus originem ducit, quam physiognomica atque eodem modo hominibus ingenita est. Omnis homo vultu et facie animi sui affectus ita clare et finite eloquitur, ut eum animalia quoque intelligere possint, quare Ovidius rectissime inquit:

»Heu quam difficile est, crimen non tradere vultu.«

Atque sine hac mimice qualem statum assequi potuerint artes liberae? quam exigua et vilia opera prodiderint antiquitatis et noviorum temporum artifices, ut: Raphaël, Correggio, Leonardo da Vinci, Hogarth — aliique? quomodo Garrick et Talma et Iffland sine ingenio et hujus mimices indole tam pulcherrime aliorum hominum proprietates et motus animi imitari potuerint? — Ille summus dolor egregie expressus est in facie et toto corpore Laocoontis, qui, ore ad pavidum clamorem aperto, ut effugiat anguium nexus, luctatur; pari modo admirabilis et memoria digna est hilaritas Veneris Medicensis et tranquillitas Apollinis Pythici et petulantia Faunorum. Ita Correggio Jonem pulcherrime pinxit in Jovis amplexu; resupina lassitudinem ostendit in facie, quae summae perceptae voluptatis semper index est et proditor. Similiter Garrick, histrio anglicus, vultu tantum spectatores in eum animi statum redegit, quem partibus, quas egit, necessarium habuit, antequam verbum elocutus esset, praesagiverunt spectatores, quo fabula progressura esset, lacrimaverunt, tremuerunt, aut riserunt, priusquam Garrick os aperuisset.

Longe majoris momenti medico physiognomia pathologica est, praesertim cum multo minus observatorum erroribus tradita sit. Huic scientiae facialium significationes mutationum, quatenus ad pathalogicum hominis statum referendae sunt, apte docenti jam temporibus, ubi prima tantum artis medicae rudimenta apparuerunt, altissima cum veneratione medici

operam dederunt semperque ei honestum locum obtinendum attribuerunt in doctrina de signis morborum. Jam Hippocrates primum ut considerarent medici vultum suasit, atque descriptionem egregiam et accuratam illius hippocraticae sic dictae faciei nobis tradidit, quae nostrae aetati diligentiam priorum temporum et facultatem veritatemque quam excellentissime demonstrat ac confirmat. Pari modo oculos fidelissimos cujusvis in corpore mutationis indices certissimòsque sanitatis aut mortis nuntios Pezold credebat, atque Vogel signis facialibus ita secure nitebatur, ut de oculis diceret: »oculi si habitum suum normalem conservant, mors non metuenda est, etiamsi alia pessima quaevis symptomata affuerint. Tamen non nisi nunc conati sunt atque experti medici, quas res ad hanc diagnoseos partem pertinentes antiquissimae observationes et recentiores huic tempori tradiderunt, eas complecti et in ordinem redigere, itaque pulchram formare artem, quae ex faciebus mutatis singulos morbos nos diagnoscere docet. Sed revera difficile est, varia et levissima colorum discrimina, turgorem omnino vitalem, conjunctionem vultuum propriam lingua his in rebus tam rudi incultaque stricte ac destinate delineare, praesertim cum maxime cavendum sit, ne descriptor vi imaginandi ablatus tabulam pingat quam longissime a natura ipsa abhorrentem. Quae vero descriptio si fortasse semper imperfecta neque sufficiens est, tamen diagnosis morborum ex faciei mutationibus constituta non pari modo difficultates affert atque physiognomonia pathologica multo ma-

joris fidei est, quam physiologica. Nam in ea illud grave impedimentum diagnosticum, quod simulationibus ac dissimulationibus in physiognomia generali insertum est, voluntate ad totum corporis habitum mutandum minime sufficiente, omnino omittitur. Quantopere inter se differunt gestus simulantium ac naturalis propriaque hominis revera aegrotantis facies? Huc accedit, ut aeger rarissime tantum medicum decipere in animo volvat; nisi forte feminae nonnullae maxime laetantur, quod medicum fefellerint atque ipso in morbo nimis absconditae fuerint.

Attamen, quamquam illa doctrina pathognomonices magnam assecuta est veritatem, non omnia diagnostica signa ex ea petenda sunt, neque illius verbi obliviscendum est Horatiani:

»Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum!«

Valde enim alioqui nobis cavendum est, ne iterum ad illa perveniamus somnia atque deliria, quorum exempla tam famosa proposuerint praeterita tempora. Non nisi morbos gravissimos aut in capite ipso sedentes aut morbos partium cum organis faciei non leviter consentientium nos ex vultibus diagnoscere possumus, praesertim cum tenuia aegritudinum cognatarum discrimina verbis exprimere maxime arduum sit atque disjunctio nimiae subtilitatis magis obumbret res quam illustret. Itaque ego non nisi nonnullos graviores periculososque et, quos ipse jam saepius vidi, describam morbos et dyscrasias, hancque distributionem observabo, ut primo de cachexiis, tum de organis respiratoriis, tertio de mor-

bis cordis atque vasorum, quarto de aegritudine tractus intestinalis, deinde de excretionibus et secretionibus, sexto de genitalium morbis. denique de nervorum affectionibus locuturus sim. Quibus in rebus componendis his usus sum libris:

G. E. Struve, praes. G. E. Stahl diss. inaugur. de facie morborum indice s. morbor. aestimatione ex facie. Halae, 1700. 4.

A. Nicolai, de habitu faciei ut signo. Jenae, 1763.

Danz, Medizin. Zeichenlehre bearbeitet v. Heinroth. Leipzig, 1812.

C. Lucae, de facie humana. Heidelberg, 1812.

Corvisart, Versuch über die Krankheiten u. d. organ. Verletzungen d. Herzens. Aus d. Französ. von Rintel. Berl. 1814.

W. A. Haase, über d. Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten d. menschl. Organism. Leipzig u. Wien, 1820. 4 Bände.

Carl Rich. Hoffmann, Vergleichende Idealpathologie; ein Versuch d. Krankh. als Rückfalle d. Idee d. Lebens, auf tiefere normal. Lebensstuf. darzustel. Leipz. 1824.

Karl Gustav Schmalz, Versuch einer med.-chirurg. Diagnostik in Tabell. 4. Aufl. Dresd. u. Leipz. 1825 fol.

G. F. Most, Einiges über die patholog. Physiognomik; in Horn's etc. Archiv. 1826. Jan. Febr. p. 66.

Esquirol, Allgem. und spec. Pathol. u. Therap. d. Seelenstörung. Nach dem Franz. v. K. Chr. Hille. Leipz. 1827.

L. Nisle, Ueber Physiognomik im Allgem. nebst Beitrag zur path. Physiognom. in Horn's etc. Archiv. 1827. Jul. Aug. p. 561.

Georg Andral, Grundriss d. patholog. Anat. A. d. Franz. v. Ferd. Wilh. Becker. Bonn 1829. 2. Theil.

J. Koppel, de faciei in nonnull. morb. mutatione. Berol. 1829.

S. G. von Vogel, Allg. med.-diagnost. Untersuch. z. Erweiter. u. Vervollk. s. Krankenexam. Thl. II. Stendal 1831.

J. C. Juengken, d. Lehre v. d. Augenkrankh. Berl. 1832.

Most, Encyclopädie der gesammt. medic. u. chirurg. Prax. Leipz. 1833. 2 Theil.

Joh. Pet. Frank, Behandlung d. Krankh. d. Mensch. A. d. Lat. v. J. F. Sobernheim. Berl. 1835. 4. Bd.

PARS PRIMA.

DE FACIEI HABITU IN MORBIS DYSCRATICIS ET CACHECTICIS.

Depravatus humorum status a sanguinis cacochymia, vel malae digestionis ac nutritionis et assimilationis, vel aëris impuri et mephitici effectu procreatus dyscrasia nominatur; sin autem haec dyscrasia etiam externum mutat corporis habitum et deteriorem reddit atque pallore cutaneo se manifestat, cachexiae sive status cachectici et Cacheteos nomen accipit. Tum fit cutis pallida, subflava, lurida in luteum vergens; genae rubore solito et splendore indigentes; simili, verum paulo obscuriori atque coeruleo-cinereo colore palpebrae obtectae sunt, dum conjunctiva et oculi et palpebrarum singulis vasis sanguiferis varicosis conspersa est et sclerotica ex albido flavescens et in angulorum partibus subflava observatur. Labia pallidiora sunt, quam in statu sano et masculi

totius faciei magis in lucem proveniunt atque tam hoc loco quam in universo corpore immensam laxitatem offerunt.

I. De facie scrophulosa.

Scrophulosis aetati puerili propria non nisi rarissime et conditionibus plane definitis posteriores aetatis annos invadit; quae dyscrasia aut ingenita aut acquisita totum corpus materiae scrophulosae implet itaque perturbationes in systematibus lymphatico, sanguineo, glanduloso procreat, unde habitus faciei valde commutatur. Secumdum varios Scrophuloseos gradus duas species faciei scrophulosae distinguere possumus, nempe: faciem scrophulosae diatheseos et faciem scrophulosae atrophiae.

A. Facies scrophulosae diatheseos.

Toto in habitu scrophuloso primum magna pigmenti exiguitas consideranda est; scrophulosis enim infantibus cutis est mollis, tenera, glabra, pallida, fere pellucida atque hic et illic vasa sanguinem continentia ostendit, quae praecipue in palpebris et temporibus ac fronte coeruleas strias perlucentes formant. Capilli et supercilia habent colorem plerumque flavum tantumque rarissime fuscum nigricantemque. In genis bellus et roseus rubor tantum paululum ad coerulescentem colorem vergens habitat, qui circulo definito inclusus tamen et aliis partibus faciei ruborem communicat itaque faciem maculosam et scutulatam reddit. Facillime ob hanc cutis teneritatem scrophulosi pueri febri urticata sive urticaria

afficiuntur. Oculi sunt magnae et pulchrae convexitatis, coloris subcaerulei et peculiaris, languidi et subhumidi splendoris; pupilla est dilatata ac palpebrae paululum dependentes, in marginibus crassae neque vero plus quam solito rubescentes, attamen instructae ciliis bellis, longis, fuscis, quasi bombycinis. Quibus in oculis si inflammatio apparet, ea aut glandulae Meibomianae aut membrana conjunctiva afficiuntur; tum rubor inflammatorius obscurior et ex rubro-coeruleus est et vasa sanguifera conjunctivae marginem corneae transeunt et usque ad medium ejusdem membranae interdum progrediuntur; secreta ex oculis profluentia acria sunt et corrosiva; saepe phlyctaenae in corneae partibus mediis erumpunt magno cum oculorum aciei periculo; praeterea photophobia quam maxima est exacerbatioque inflammationis tempore matutino. Vultui scrophulosi infantis aliquid calliditatis inest et sagacitatis; longe majorem ingenii alacritatem infantes demonstrant, quam ex aetate conjici potest; in loquendi multo plus profecerunt facultate quam currendi. Ut tota facies intumescens est et inflata, ita etiam nasus et labium superius et auriculae tumidae apparent. Nasus est bulbosus, faciliter intumescens, in regione alarum in latum extensus, cum naribus corrosis et rubicundo longoque septo. Labium superius crassum et cum phyltro perquam profundo et exarato atque exiguis cutis efflorescentiis interdum tectum. Accedunt maxillae latae et prominentes robustaeque et caput gravius ac majus, quam ad partes corporis reliquas aptum; imprimis occiput vastum est, dum frons par-

vus atque tempora excavata sunt. Collum adest breve et crassum et corpus omnino largiter nutritum, verum in toto habitu laxatum et universalem irritabilitatis et vigoris defectum significans. Musculi sunt infirmi, tenues, laxati, veluti spongiosi, parum rubicundi, egentes fibrina. Praeterea crassum, tumefactum quamvis non semper durum invenitur abdomen et ossa tenuia et magnis epiphysibus instructa atque columna vertebralis ad distorsiones inclinans. Alia signa diatheseos scrophulosae reperiuntur: sanguinis e naribus stillicidium, turbida et lactea urina, modo obstructiones alvi modo diarrhoeae, plerumque excrementa albo-viridia, mucosa rarissime normalia et homogenea, saepissime vermium excretio; interdum colica certo tempore recurrens adest et tympanitica inflatio abdominis; saepe ructus acidus et odor alliarius ex ore veniens aliaque. Deinde mucosae excretiones e naribus et urethra et vagina, porro varia exanthemata chronica, ut: Porrigo, prurigo, lichen, herpes, exanthema scabioso-scrophulosum Hufelandi. Ad quae accedit praecox cultura sensuum externorum animique cum damno corporis universi parum et lente neque perfecte crescentis.

B. Facies scrophulosae atrophiae.

Atrophia scrophulosa utplurimum induratione glandularum mesenterialium scrophulosa procreata, semper ex scrophulosa diathesi originem ducit itaque signa illius in facie ac vultu ostendit. Tempora primae vulgo secundae dentitionis, interdum demum pubertatis scrophulosae atrophiae praecipue favent.

Tum rubor in genis bellus faciei luride pallescenti et cinereo-flavae cedit. Cutis est rugosa, comedonibus frequentissimis obtecta, oculi minus nitidi et lacrymis humectati obscuro circumdati circulo. Nasum acutum prurientem naresque rubefactas scabere manibus infantes cupiunt. Infantes vultus accipiunt sapientes, sollicitos, senili prudentia praeditos; musculi laxitati in ossibus dependent et adsunt symptomata maximae debilitatis. Mirum hac in atrophia est, ut pueris per totum morbum ingenii alacritas et sagacitas remaneat, quare plerumque plus judicii et intelligentiae detegunt infantes, quam in aliis paris aetatis reperimus. Verum etiam sunt infantes morosi, inquieti, voraces et ciborum graviorum appetentes potissimum; mox calore externo et febris hecticae exacerbationibus vespertinis, mox sudore colliquativo somnoque inquieto valde cruciantur, quae res paullatim vitae finem imponere solent.

II. De facie arthritica.

Proprietatem quam maximam praebet homo arthriticus in vultibus suis; qua in re nihil interest, utrum dispositione haereditaria an multo vino infuso sibi magno cum labore acquisiverit homo illud malum? Nam maxime puto, dispositionem arthritidis non alio modo in homine provenire nisi per vitam luxuriosam. Tum enim quis non novit visus eos potatorum rubicundos et splendentes? Vix oportet, eos melius delineari, cum in urbe paululum extensa ubique nobis occurrant illi Bacchi sacerdotes. Praeter omnia adnotandum est, arthritidem nisi aetate

virili ex dispositione auctae venositatis, praecipue in vena portarum provocatae, non existere. Quae dispositio major facta in constitutione robusta et sexu virili, quam in hominibus debilibus et feminis, praecipue signis his pathognomonicis elucescit. Caput omne rotundam vulgo formam servans magnis et spissis ornatum est ossibus; cutis omnino aspera et dura, tumescens. Color faciei aequalis, in rubicundum vergens, floridus videtur ac laetus. In genis autem praecipue purpureus animadvertitur nonnullis coeruleo-rubicundis punctis conspersus; qui color circulum quendam sub palpebra inferiori formans, ab hoc loco ad radicem nasi adscendit, ibique quasi ephippium progignit. Atque frons etiam rubicunda est et plicis transversalibus instructa, qui rubris striis inter se disjuncti sunt; praeterea in fronte observantur guttae illae rosaceae, quae indurationes effingunt rubore obscuriore, splendido, cuprino circumdatas, tanquam signa nitentia vitae luxuriosae. Oculi splendent ac vigent et quasi in humectate natantes videntur; palpebrae imprimis superior intumescentes et uti levissima paresi torpidae sunt; praeterea multae varicositates venarum in conjunctiva oculi jacentium adsunt abdominales. Si in talibus arthriticis viris fit oculorum inflammatio, minime desunt haec signa arthritica: dolores vehementes in ossibus orbitae velut terebrantes; rubor conjunctivae obscurus, venosus; circa marginem corneae adest circulus coeruleus. Prae omnibus partibus faciei nasus autem adspiciendus est; nam in illo omnia signa arthritica quasi cumulari videntur, isque fere unicus vino au-

geri quam maxime. Est enim nasus in corpore arthritico magnus et latus et bulbosus et omnino rubens; purpureus, punctis cuprine splendentibus obtectus; hic et illic in lateribus nasi domicilium habent guttae illae rosaceae luxuriosae; et in apice observatur saepissime uberrima vasculorum injectio. Praeterea reperimus homines arthriticos temperamenti sanguinico-cholerici et si impetibus morbi dolorosi et mordacis afficiuntur, tum pulvinis et lana velati, morosi sunt et tristes moestique dirasque voces jactantes.

III. De facie carcinomatosa.

Prima initia cancri occultissima et clandestina sunt neque aliud signum procreant ac laesae organi, in quo existit carcinoma, functionis; attamen fortasse praesagiendum est, diathesin cancrosam adesse, si pueruli ex familia sunt, in qua multi carcinomate perierunt; neque enim unquam omnino negandum est, cancrum ex parentibus in filios vel nepotes transferri. Animadverterunt observatores, filias ex matre uteri carcinomate abrepta, si dispositionem ad hoc malum hereditarint, juvenili aetate saepissime rubore volanti in collo affici; quod vero signum minime firmissimum est, neque aliter formatur, ac morbo ipso erumpente. Sin autem cancer valde excultus est, tum facies tam excellentissime mutatur, ut nemo non agnoscere possit. Praecipue cutis peculiarem speciem assumit; illa enim eodem modo, quo carcinoma ipsum pigmento proprio vel flavo, vel fusco, vel nigricante induitur, etiam colorem mutat, ita ut

hunc ipsum colorem multi medici jure magni aestimarent in cognoscendo cancro. Nam saepissime fieri potest, ut, carcinoma in organis interioribus adesse, hoc ex pallore concludatur. Sub cutem egregie asperam ac rigidam ponitur stratum muci albido-flavescentis, quo cutis colorem flavum accipit, neque vero colorem flavum in rubrum vergentem, ictericeum, sed flavum cum cinereo mixtum, surdido-flavum. In feminis, quae carcinomate uteri laborant, hoc pigmentum praecipue animadvertere possumus et cum chloasmatibus conjunctum. Qui peculiaris color optime comparatur cum marmoris ex cinereo flavescenti; sive aliter hac re: si quis post occasum solis in mare descendat usque ad collum tumque crura et pedes intueatur, cutem coloris flavescentis, cinereo-viridis reperiet maxime similem colorum temperationi cancrosae. Praeterea facies decolorata aliter quoque depravata est; multo magis solito in longius tracta et macie peremta et in nutritione pejerata. In fronte et circum os animadvertimus plicas profundas, inter quas striae jacent luridae et cinereae; oculi in orbita retrogressi languidi videntur hebetes et fessi; sunt circumdati orbiculo valde coeruleo-cinereo et habent conjunctivam rubicundam et holoserico similem. Nasus ex lateribus compressus, in apice acuminatus non valde abhorret a naso hippocratico. Labia pallescent ac muco e glauco candicanti tecta sunt. Tota igitur facies pallida est neque tantum erubescit levissime in genis, febri hectica exacerbationem suam proferente. Ad quem egregium habitum, qui forte jam solus sufficit ad carcinoma cognoscendum accedit

illa totius corporis macies et dolores saevissimi in loco affecto: odor ex aegroto sursum elatus, acidus, rancidus, cadaverosus, vix tolerabilis.

IV. De facie scorbutica.

Primordio morbi scorbutus haud secure diagnoscitur. Tantum invenimus aegrotantem morosum, lassum, debilem, affectum, timidum, tristem, hypochondriacum; labores effugere tentat semperque somni cupiditate agitatur; attamen somnus minime corroborat eum. Contendunt Trotter et Lind, signum esse pathognomonicum scorbuti jam in principio repertum desiderium maximum herbarum recentium et acidorum vegetabilium. Quibus prodromis per aliquid temporis perdurantibus, gradatim in stadium firmius venit scorbutus; tum facies quoque malum exprimit. Aeger pallescit, intumescit et colorem accipit facialem subflavidum, subcoeruleum, cachecticum, plumbicum, viridescentem, rarius fugaci rubore instructum. Cutis fit aspera, arida, furfuracea, tensa, splendens; pruriens; adspectum nanciscitur imparem, marmoratum, rubescentem. Modo prius, modo serius maculae coeruleae, ex rubro subnigrae, nigricantes, plumbeae existunt, initio haud dissimiles pulicum vulneribus; quae maculae primo in cruribus et suris, tum in abdomine, brachiis, dorso et pectore, rarissime vero in facie apparentes sensimque auctae et confluentes ita aegrum scutulatum et hibridae similem reddunt. Tum labia et papillae lacrimales ex coeruleo virides fiunt oculique rubei splendoreque solito privati et languescentes. Nunc alia veniunt symptomata essen-

tialia: gingiva sensim intumescit evadens coeruleo-rubra, plumbea, spongiosa, laxa, soluta emittit sanguinem tactu levissimo. Sanguis est tenuis, solutus, pallido-niger, viridiusculus, magnae serositatis et odorem exhalat, terribilem, putrescentem, acidulosum. Ex ore aegrotantis effunditur pestilens foetor et aeger de putrescenti sapore conqueritur. Crebriores per nares et os prodeunt sanguinis jacturae, simulque cum ejusdem depravatione colliquationes quam maximae fiunt, et fere ex omnibus partibus sanguine emisso homines conficiuntur accedentibus vel convulsionibus, vel hydrope. Adnotatione dignum videtur, ut hic morbus nisi apud homines adultos non observetur. In cadaveribus scorbuticorum omnes musculi et ipsum cor pallidi, molles inveniuntur; pulmones, lien aliaque viscera nigricantia quasi soluta. In vasis sanguis est fuscus, niger, dissolutus et in cavitatibus, uti in pericardio et abdomine et thorace videmus saepissime humorem serosum, viridem atque, ut Poupart contendit, corrosivum.

PARS SECUNDA.

DE FACIEI HABITU IN MORBIS PULMONUM.

Est observatio, quamquam verissima et firma, tamen maxime mira et egregia, ut in omnibus morbis pectoris, etsi graviores et periculosi sint, aegroti bonam spem semper sibi sonservent, dum in morbis

abdominis fere exiguis non nisi de morte cogitant itaque vitam degunt tristem et anxiam. Praecipue haec res elucescit in phthisicis et hypochondriacis hominibus; hi enim infelices se reddunt imaginationibus et somniis et semper credunt, sibi mortem ubique imminere, neque ullo modo se eam evitare posse; illi vero adhuc in ipsa agonia de vita futura pensitantes institutiones faciunt ac ita se ipsos fallentes ad inferos descendunt.

I. De facie pneumonica.

Vultus hominum pneumonia laborantium valde certi et peculiares sunt respectu non solum phaenomenorum physicorum verum etiam inprimis psychicorum. Ceteroqui nominibus pneumoniae et pluritidis indicent medici, quodcunque velint, id tamen certissimum est, in pleuritide inflammationem magis superficialem veluti erysipelaceam existere sive in tota pleura sola, sive in pleura et pneumonibus simul, sive in tela cellulosa inter pleuram pulmonesque jacenti. E contrario in pneumonia stricte sic dicta substantia pulmonum ipsa et in intimis partibus affecta est.

A. Facies pneumoniae stricte sic dictae.

Pneumonicorum facies est intumescens, tensa, rubra neque tam raro in coeruleum vergens; tantum in exitu morbi rubor magis in regionibus genarum, frontis, nasique se contrahit et purpureus fit. In fronte, quae tantum haud saepe rubet atque in naso et circum palpebras colluviem et turbam mirabilem in-

solitamque colorum rubri ac luridi atque flavi animadvertimus. Oculi pro parte palpebris valde turgescentibus obtecti splendent et fulgent; instructi sunt iride tensa, pupilla contracta et plerumque membrana conjunctiva ex lurido flava. Nutus et adspectus aegrotantis peculiari modo tristes ac morosi, fere dicere possimus, malitiosi subdolique. Labia sicca, rugosa, tumida, purpurea paululum a se invicem distant et per os minus apertum breviter et celeriter spiritus trahuntur; profundiorem ubi inspirationem aeger tentaverit, tussis statim oritur. Simul alae nasi agitatae perquam laesam respirationem designant. Facies magis est in longius tracta et in infantibus maxime deformis et perversa; hic enim neque convulsiones rarae sunt et tussis magna, in qua, sive movetur sive attollitur e lectulo, infans clamans lacrymas effundit. Vultus aegrotantis in acme morbi tristes apparent et morosi atque iracundi. Neque veris doloribus oppressus, tantum in pectore impedimentum respiratorium veluti pressum quendam sentiens ore non anxietatem exprimit aegrotus, verum molestiam gravissimam. Non multa verba facit, neque aliter ac interrogatus, tum demum longa post intervalla loquitur. De statu suo valde tranquillus et lentus videtur; quare nihil conqueritur, nihil sperat, nihil desperat; neque consilia volvens de temporibus futuris aegre et moleste fert labores incumbentes. Ad quae accedit, ut praeter signa gravioris febris provecta accessione et ingravescente morbo deliria et animi deliquia mox phaenomena existent, quae consensum non solum totius corporis sed potius cerebri

significant. Fluxum sanguinis in pulmonibus impeditum sequitur necessario impeditus recursus sanguinis ad cor; itaque, impetu sanguinis arteriosi aucto, cerebrum uberrimo sanguine impletum, quam maxime consentire oportet: ita existit iste animi status morosus ac molestus et hebes in tota facie tam egregie excultus.

B. Facies pleuritidis.

Multo alia est facies pleuritica quam pneumonica. Cum enim in pleuritide tanta circulationis sanguinis impedimenta non adsint, quanta pneumonicum aegrum reddunt moestum tristemque, nihil aliud invenimus nisi major irritabilitas et incitatio sanguinis arteriosi. Quare minime mirum est, pleuriticos tam egregia irritabilitate abripi, dum pneumonici hebetudine grandissima vincti sint. In pleuriticis facies omnino florida et laeta est neque minus intumescens et tensa. Color cutaneus rubicundior neque tantopere extensus et quasi normalior est, quam in pneumonia. Partes cutis non rubicundae in casibus recentibus, morbo in acmen progresso, facillime subflavidi aliquid adipiscuntur. Oculus splendet et quidpiam anxietatis, inquietis, instabititatis prodit, iride tensa, conjunctiva levissime colore flavo tincta. Labia purpurea, turgentia plerumque clausa sunt. In facie ipsa magis in latum tracta, aliquid anxii, inquieti et dolorosi inest. Aeger praeterea facillime irritatur, multaque loquitur de morbi sui initiis et causis, de familia aliisque rebus, donec eveniat, ut doloribus gravioribus in loquendo inter-

rumpatur. Prae ceteris vero maxime tentat dolores suos majores reddere, quam revera sint. Multo adhue est iracundior, quam pneumonicus et affectionibus animi magis deditus itaque majora poscit faciliusque in rixas et maledictiones se convertit.

II. De facie paedanchonica.

Symptomata hujus morbi non solum medicis, verum etiam imperitioribus artis medendi sat nota secundum pulcherrimam, quam edidit Sachse, descriptionem breviter verbis sequentibus conjuncta sunt: Angina membranacea aut subito tussi alienata incipit, aut, quae res frequentius accidit, post febrim per aliquot dies protractam catarrhalem ex improviso facta raucedine et respirationibus sibilantibus se manifestat. Pueris autem postea ad ludendum et edendum iterum se convertentibus, sibilo illo suspirioso dilapso aut non nisi in tussiendo vel clamando, loquendo vel ridendo regrediente, imperitiores valde contenti sunt puerorum valetudine; pari modo non animadvertunt proprium tussis siccae latrantisque habitum, donec valde aucta, a majori sibilo stipata tempore vespertino recurrat. Tum respiratio multo difficilior fit; facies maxime erubescit in omnibus suis partibus, oculi splendent atque orbitas quasi effugere videntur; venae capitis et colli multo sanguine impletae tumescunt et pulsus est durus celerque et frequens. In remissionibus et fere intermissionibus de his rebus nihil remanet nisi frequens pulsus atque dolor minime gravis in trachea. Sed multo celerius recurrunt invasiones morbi: tum infans quiete dor-

miens paullatim inquietior fit, respiratione magis magisque clariore et celeriore, donec impetus recens intret; cujus tussis nunc per expectorationem profert sputa spumosa, cruenta, interdum canaliformia ex fibrina conglutinata. Nunc inspiratio multo difficilior, clarior, magis sibilans observatur; caput retrorsum reflectitur, trachea et larynx in altum tollitur. Febris maxime augetur et in facie interdum et aliis locis convulsiones existunt; vultus perversus et deformis laboriosis inspirationibus omni momento mutatur, ubique purpureo rubens habet oculos ex capite procidentes quique ob anxietatem respirationis volvuntur huc et illuc. Os patet et alae nasi agitantur celerrime; praeterea sitis insatiabilis est et potus cupide dejicitur ut interdum per nares pro parte recurrat. Anxietas aegrotantium fere inenarrabilis videtur: jactuntur in lecto linguam protrudentes, ut aërem haurire possint: sibi et aliis lacerant vestimenta et capillos sudore madidos: tum collabuntur in lectulum pallidi; coerulei, tumescentes, consumpti et veluti dormientes videntur, sed volvuntur oculi, pro parte palpebris obtecti, ita in altum, ut tantum albugineam quasi rubro colore infundendo impletam, conspicere possimus. Mox vero somno excussorum aegrotantium sentimus tremorem cordis et carotidum: videmus diaphragma, pectore quieto, agitari spasmodice. Nares longe aperiuntur, oculi labuntur exstincti et circumdantur orbiculis coeruleis. Nihil aliud superest nisi raucus, suspirans vagitus aëris et potus. Atque unguibus et dentibus lacerant sibi faciem et os nasumque, donec moriantur; aut horrescentes convulsioni-

bus conficiuntur; aut quieti fiunt, morbo quasi definito, et coerulei, tumidi, sudoribus frigidis obtecti sensim obdormiscunt.

III. De facie haemoptysica.

Haemoptysis plerumque conjuncta est cum phthisi pulmonum tuberculosa, aut saepissime in hanc transit. Quare vulgo habitus phthisicus et in haemoptysicis describendus est, nisi morbi impetus ipsius incipit. Tum enim paulo ante et in invasione ipsa mali facies valde tensa est, intumescens, aequaliter rubicunda sive lucidior sive obscurior, imprimis autem circumscripto in zygomatibus rubore quadrato laetoque praedita. Oculi rigentes, fulgentes, vivaces, conjunctiva rubenti et iride contracta ac tensa, ex orbita exstant; os conclusum, alae nasi elatae. Inquies summa et anxietas aliquidque saevae indignationis in vultu delineata sunt. Quibus accedunt signa facialia respirationis impeditae: pinnae narium agitatae, caput elatum; porro tussis et sanguinis ex ore excretio aliaque sat nota. Aliquid temporis post impetum adhuc remanet facies tensa, anxia, tristis. Paullatim evanescit tensio neque nisi in oculis splendoris quidquam inest. Sanguinis multitudine tota dejecta collabitur facies celerrime, pallescit, solvitur, remittitur. Oculi languescunt et collabuntur, dum pupilla patescit et iris solvitur neque lucis tam sensilis est solito. Labia antea rubentia, sicca et trementia pallent omnino; turgore vitali ex ore effugiente aeger accipit habitum hippocraticum quendam. Nunc in vultibus

inest aequitas animi et aeger fessus in somnum incidit quietum.

IV. De facie phthisica.

Phthisis tuberculosa quot homines contra omnium medicorum omnia studia et labores necet, minime gentium ignotum est. Atque videtur hoc malum, quod jure crux et molestia medicorum nominari possit, longius et latius extendi, ut medici convincantur, quam debilis ac parum sufficiens ars medendi sit? Neque enim solum hereditarium malum est, sed etiam acquisitum per vitiosam vitae rationem; saepissime aetate pubertatis se manifestat et imprimis in hominibus debilibus et iis, qui antea, scrophulosi et rhachitide laborarunt. Primo initio fortasse nullis signis agnoscenda, nisi habitu illo phthisico se confirmat malum. Homines hac diathesi tuberculosa praediti jam in puerili aetate documenta afferunt constitutionis gracilis, tenerae; habent cutem teneram, albam, tenuem, musculos tenues et laxos. Concinne celerrime crescunt; tamen sunt debiles, infortes, facile defatigantes. Aetate puerili hic habitus multo clarior elucescit, imprimis apud homines capillis flavis et multis ornatos. Pubertate ipsa mature incipiente homines crescunt in altum et graciles fiunt; huc accedit pectus angustum, planum, aequum, impressum, collum longum, humeri prominentes, corporis habitus extensus, longae extremitates superiores. Faciei color idem est, qui in cute. In genis bellus et tener rubor circumscriptus vulgo verbo germanico Schwindsuchtsrose dictus; qui color venustatem juvenilem auget quam maxime.

Dentes sunt pulchritudinis summae. candoris et coloris margaritarum; labia formosissime rubra et tota facies plerumque amoena et acuta et excitata. Oculos praebent phthisici magnos, claros, concinne coeruleos aut cinereos. Ipsi digiti teneri sunt et ad lucem conversi fere pellucidi. Talibus hominibus inest memoria magna et firma, phantasia florida, temperamentum sanguinicum et ingenium egregium. Sin autem phthisis longius progressa est, tum gradatim signa existunt, quae consumptionem significant. Color faciei macilentae, longae, tenui ac languida cute obtectae est lurido-albus neque minus ad virido-flavum vergens; non dissimilis colori cerae albae. Genas obducit rubor tener et circumscriptus. Vultus teneri, expressi; oculi initio semper, postea non nisi in febris hecticae accessionibus splendentes. Conjunctiva praebet initio egregiam albedinem et splendorem, similem operi porcellaneo: serius tenuior fit et ob translucentem chorioideam coerulea. Oculis lacrymarum effusione madidis, labiis initio rubris, sensim pallentibus, dentes minime obtegentibus; naso acuminato, temporibus impressis, arcubus zygomaticis prominentibus. Morbo excrescente majora signa fiunt: labia dentes obtegere non possunt, os semper apertum est. Tum facies quasi splendore imbuitur, et aeger in febris hecticae exacerbationibus spem habet quam maximam: praesentium inscius non nisi de futuris temporibus curat; adspectus est hilaris, splendens, quasi fanaticus. Denique intumescit tota facies pallida; oculorum splendore exstincto, cornea obnubilata, mandibula dependenti, malis lapsis, labiis flaccidis et fri-

gidis, naso frigido et gracili, deliriis blandis accedentibus aeger paullatim mortem occumbit magna consilia animo volvens.

PARS TERTIA.

DE FACIEI HABITU IN MORBIS SYSTEMATIS VASORUM.

De facie cyanotica.

Morbus hic fere semper insanabilis plerumque ex vitio organico et congenito cordis progressus, facillime ex facie diagnoscitur. Nam signum pathognomonicum color coeruleus cutis est conjunctus cum signis periodicae suffocationis etc., qualia in vitio cordis adesse solent. Qui color coeruleus praecipue occupat illas partes, quae tenui ac tenera epidermide obtectae sunt, nempe: genas et palpebras, labia, linguam, latera extremitatum interna, digitos et pedis et manus extremos, ita ut in adspectu primo credere possimus, eum hiemali acerrimo frigore penetratum esse. Evanescit interdum hic color quam celerrime et ita recurrit. Oculi magni tum prominent. Ad quae accedunt gracilis habitus cyanotici, perquam longa brachia, extremorum digitorum et pedis et manus bulbosa forma; temperatura cutis minuta est, quare aegri multo frigent et algent et in facie habent aliquid inertis et morosi ac phlegmatici. Porro aegri facillime fatigant et conqueruntur de aëris inopia, quam-

vis libere et profunde et sine doloribus inspirare possint. Sensim hoc impedimentum respirationis augetur et aegri plerumque aetate juvenili vel virili hydrope necantur.

PARS QUARTA.

I. De facie febrili gastrica.

Saepissime jam ex intervallo decem passuum cognoscitur gastricismus. Sin enim aeger in loquendo os aperit itaque linguam etsi minima ex parte in lucem fert, ea spisso muco subflavo obtecta est; simul ex ore enascitur foetor vix tolerabilis. Praeterea facies colore in luridum et subflavum levissime verso instructa est et aphthis circum os. Quae facies, sordibus sursum turgentibus, valde mutatur; nam inquieti fiunt aegroti; tremit labium superius et alae nasi altius tolluntur, totique vultui anxii et morosi quidpiam inest. Libido vomendi tum sensim in justum vomitum transit, tumque tota facies in latius tracta et dependens fit; alae nasi inter se removentur et os latum et apertum emittit sordes gastricas. Ad quae accedunt congestiones sanguinis ad caput eamque ob rem rubor et intumescentia faciei.

II. De facie verminosa.

Inter omnes vermes, qui in corpore humano habitant, facillime Ascaris lumbricoides in infantibus diagnosci potest ex facie. Apud liberos his vermi-

bus laborantes facies magis vel minus tumida, laxa; oculus est magnus, pupilla dilatata, vultus paululum riget et languescit et sub palpebra inferiori orbiculus coeruleus. Nares propter pruritum, quem pueri manibus scabentibus tranquillare tentant, rubicundae sunt et excoriatae; nasusque ipse eandem ob causam intumescens et bulbosus. Color faciei valde pallidus est. Ex tali habitu cum firmitate quadam vermes diagnoscere possumus, quamquam non aliis signis juvati, qualia sunt: abdominis intumescentia, urina cum sedimento albo vel roseo, excretio vermium ipsa.

PARS QUINTA.

DE FACIEI HABITU IN MORBIS SECRETIONUM.

I. De facie hydrothoracica.

Praegressis jam per magnum tempus respirationis in currendo et adscendendo impedimentis levissimis atque exiguo oedemate pedum, denique etiam facies morbum hunc periculosissimum exprimit. Est enim facies instructa cute tumida et ad sudores prona, tamen sine illo turgore vitali, qui inflammationibns semper adest. Colore pallido, lurido, subflavo vel viridescenti hic et illic maculae et striae ruboris cujusdam oriuntur, quae praecipue in genis, nasi apice et parte superiori frontis animadvertuntur. Qui rubor non est aequus, sed quasi ortus ex injectione vasorum, quare marmorati aliquid habet et composi-

tus est ex striis venarum coerulearum, arteriarum purpurearum et subflavi coloris cujusdam. Hic rubor interdum magis in coeruleum versus et cum plumbeo conjungitur. Palpebrae facillime oedemate afficiuntur itaque oculos, quorum conjunctiva flavescit, crassae obtegunt. Labia turgescentia fortiter rubent, alaeque nasi elatae sunt. Faciei lineamenta videntur profunda, quasi exarata et coloris sunt plumbei imprimis circum angulos oris; circum oculos jacent plumbei orbiculi. Ut initio morbi partes faciei superiores maxime tumescunt, ita posteriori progressu mali inferiores aqua implentur. Tum facies quam maxime depravatur angulis oris et lineamentis transversis dependentibus; genae saccos quosdam efficiunt, pinnaeque late apertae sunt, ita ut canis faciei haud dissimilis videatur facies humana. Praeterea adnotandus est tristis, morosus aegrotantis vultus, qui inquietem, anxietatem, indignationem, sollicitudinem documentat. Fieri non potest, quin somnum capiat aeger, nisi capite valde erecto. Porro accedit corporis emaciatio, difficultas respiratoria et febris hectica; quae res vel vehementissimo angore homines interficiunt vel placidissime solvunt.

II. De facie icterica.

Icterus flavus, aurigo, morbus regius, malum arcuatum oritur aut sanguine, quod hepatis functio impedita est, parum decarbonisato, aut quod per vasa lymphatica, bilis secretione justa, plus bilis, quam fas est, resorbetur, aut quod sanguis hypercarbonisatus per hepatis functionem non satis decarbonisari potest.

Omni vero icteri generi essentiale signum est color depravatus cutaneus. Quare icterus exquisitus propter pigmentum alienum sub cute depositum facillime cognoscitur atque minime describendus est; pari modo et complicationes biliosas aut icterum leviorem optime ex ore cognoscere possumus, neque aliud hac in re nobis animadvertendum est, nisi ut primo adnata oculorum tunica, tum partes circum os et alas nasi et palpebra inferior flavo colore obducantur; tum dentes et saliva et sputa atque ultimum capilli, ungues, ossa, cartilagines, integumenta cerebri neque vero cerebrum nervique. Urina etiam flavi coloris est et chartam imbutam eodem modo tingit. Hic color characteristicus est flavus in viride vergens; interdum usque ad nigricantem commutatur. Ad quae accedit pruritus cutis, oculi illacrymantes, vires debilitatae et si morbus in fastigium provectus est, aeger toto corpore flavus est quam maxime.

III. De facie febrili catarrhali.

Etiam de hac quidem facie non multa scribenda sunt, cum imperitissimi artis medendi homines catarrhum nasi et oculorum facillime per adspectum cognoscant. Signa enim firmissima et essentialia omnibus nota sunt haec quidem: calor frontis, gravedo, oculorum catarrhalis inflammatio, labia tumentia et a muco corrosa eodem modo, quo nares, cutis aspera sicca, inquietudo et lassitudo omnino febrilis.

PARS SEXTA.

DE FACIEI HABITU IN MORBIS ORGANORUM SEXUALIUM.

I. De facie chlorotica.

Symptoma chloroseos, quod facillime observatur, est mutatio coloris; adspectus pallidus nonnullis locis interdum fortasse in viride vergens. Hac re facies chloroticarum facile agnoscitur. Ob permagnam faciei extremitatumque palliditatem, quae puerili cadaveri sive cerae semiinsolatae haud dissimilis est, nulla in parte corporis, neque in genis, neque in labiis, neque in membrana oculorum conjunctiva palpebrali, neque in gingiva ruboris vestigia invenimus. Faciei cutis plerumque tumescens, oedematosa quasi videtur, tamen pressa minime gentium foveas format, verum sub oculis saccos efficit, qui coerulei aliquid coloris habent. Apex nasi frigidus est et pallescens et cutis omnino aliquid pellucidi praebet. Aliud symptoma est temperatura minuta, qua re chloroticae semper frigent et algent, et maxime cupidae sunt caloris jucundi. Accedit ad hoc pathognomonicum, ut musculi valde laxati, gelatinosi et pallidi sint. Eodem modo et sanguis mutatur, qui in quantitate minutus, egens cruoris et pallidus, luridus, mucosus, solutioni gelatinae similis animadvertitur, difficilius coagulatur placentam formans tenuem et salium ferrique minus, quam jus est, continentem. Praeterea respiratio in chlorosi impedita est et assimilatio debilitata; cibo-

rum appetitus minuitur et post coenam chloroticae facillime queruntur de pyrosi, sapore alienato, malacia picaque, vomituritionibus et ipso vomitu. Tum chloroticae magnam cupidinem solitudinis habent et hominum congressum fugiunt. Videntur parcae verborum, tranquillae, pavidae, tristes, moestae, haud voluntario gemunt et lacrimant. Imprimis inertia, lassitudine, fatigatione cruciantur; quare fere semper se tendunt oscitantque.

II. De facie hysterica.

Hysteria, quae maxime variis formis Proteo similis medicos angit, tam apud homines inferioris ordinis invenitur, quam potissimum apud summos. Maxime cum sexualibus conjunctum morbum inprimis apud feminas animadvertimus, in quibus plerumque habitum spasmodicum assumit. Non praecipue diagnoscere possumus ex facie aegrotantis hoc malum, multo melius ex verbis et forma loquendi disserendique. Attamen in facie, jam longe perdurante hysteria aliquid inest, quod nobis vestigia morbi praebere possit. Omnino hysterismus magis apud feminas invenitur, quae nigris capillis ornatae sunt, quam apud feminas flavorum capillorum; aut certe in feminis nigris crinibus malum multo pertinacius est et hae aegrotantes audaciores et promptiores sunt. Facies saepe pallida est circum oculos in coeruleum, in genis et naso in flavum vergens. Qui color cutaneus non raro commutatur cum rubore circumscripto genarum, qui plerumque signum affert paroxysmi hysterici modo incipientis. Praeterea vultus hystericarum feminarum

et potissimum nuptarum aut earum, quarum menstruatio difficilis et abnormis est, habet proprietatem quandam. Adspectum enim tam senilem praebent tales feminae, ut aetate multo magis provectae videantur, quam revera sunt. Tum in vultibus inest quidpiam diffidentiae et suspicionis; oculos in unum locum figere nequeunt, qui inquieti, vero lenti ad omnes partes vagantur. Modo facies valde tumet et rubet, modo collabitur atque pallescit. Si posterius accidit, tum plerumque impetus morbi spasmodicus imminere solet. Omnino igitur ad cognoscendam ex facie hysteriam nos adjuvant magna symptomatum inconstantia et mutabilitas atque illa summa lineamentorum expressio spasmodica.

PARS SEPTIMA.

DE FACIEI HABITU IN MORBIS SYSTEMATIS NERVOSI.

In cerebro nervisque duplex morborum series exstat; modo enim functio cerebralis impedita est, ita ut post mortem ne levissimum quidem signum perscrutari possimus; modo materia nervorum cerebrique valde mutata est. Itaque habemus morbos psychicos et physicos nervosos. Cum mihi nullo modo contigerit, ut morborum psychicorum nonnullos casus videre, vel potius observare possim, atque cum minime gentium compilare mihi in mentem veniat, nisi fortasse

quidpiam rei conscribendae viderim — hoc loco de morbis cerebris psychicis nullo modo mentionem faciam atque tantum de tribus vel quatuor morbis physicis, quos saepius vidi, aliorum medicorum dicta breviter praeponere conabor.

I. De facie febrili nervosa.

Inter omnes febres nervosas tantum typhum sic dictum abdominalem saepius vidi, quare tentabo, hoc malum paululum describere. Distinguere possumus in typho abdominali tria morbi stadia, scilicet: stadium erethico-nervosum, stadium torpido-nervosum et stadium soporosum. Incipit hic typhus cum febri gastrica; hac in febri jam nonnulla signa nervosa nobis obviam veniunt, praecipue quidem mutabilitas et inconstantia et symptomatum contradictio. Modo enim rubet, modo pallet facies; modo quieti sunt oculi, modo circumvagantur. Omnino autem haec videmus signa: color faciei est luridus, flavido-viridescens, fere chloroticus; oculi natantes, languidi. Ad quae: cephalalgia, vertigo, animus affectus, lingua muco flavo obtecta, diarrhoeae mucosae, somnus inquietus et prae ceteris dolor in illa abdominis regione supra ligamentum Poupartii sita; qui dolor si per prementem manum excitatur, aegroti inter deliria, quibus convincti sunt, vultus commutant atque ridere inter dolores videntur. In secúndo stadio signa typhosa magis in lucem progrediuntur. Aegrotus in lectulo negligenter prostratus ad inferiores lecti partes devolvitur, in tergo jacens, cruribus adductis manibusque ad genitalia positis. Cutis est fervida, caloris mor-

dacis, pro parte sudans. In facie invenimus tranquillitatem somnolentis, qui somniis blandis, jucundis movetur. Cutis faciei aliquid splendidi habet atque interdum in genis tenui rubore praedita. Labia leviter inter se conjuncta sunt, fervida, sicca, rimosa imprimis labium inferius, atque eodem modo, quo nares et dentes et lingua muco fuliginoso obtecta. Oculi languidi, natantes quasi, lacrymantes instructi sunt conjunctiva lurido-flava, in angulo interno muco sicco ornati, iride soluta ac dilatata praediti. Etiam per hoc stadium semper remanet illud pathognomonicum signum dolorosum in abdominis regione inferiori. Quibus accedunt: agrypnocoma, deliria mussitantia et querelae de debilitate quam maxima. Stadium morbi tertium paralyticum magna instructum est debilitate cum deliriis continuis et carpologia. Aegrotantes multo plus in lectum ultimum labuntur adspectumque assumunt pallidum hippocraticum; facies fit lurida, pallida, sudoribus frigidis obtecta; tempora collabuntur; nasus gracilis, mandibula dependens, labia pallescentia, oculi exstincti, tota apathica facies mortem nuntiant celeriorem.

II. De facie hemiplegica.

Qualiscunque causa hemiplegiam facialem progignit, ex vultu hic morbus facillimo negotio cognoscitur. Inter duas partes faciei quam maxima est differentia. Hic enim musculi paresi affecti laxitate laborant, dum in regione contraria vigore et tumore solito praediti sunt; quam ob rem os distrahitur, obliquum fit, ita ut nasus; pari modo lingua in latus

sanum ducitur atque saepissime propter paralysin immobilis est. Alter oculus maxima ex parte palpebra superiori paralytica obtectus, semiclausus, alter vero normalis aut paullulum minor est. In latere paralytico defluunt lacrymi ob atoniam punctorum lacrymalium. Tum hic rubent genae, illic pallescunt; hic major sentitur calor, illic frigent paralyticae partes algentque; hic laxa dependet cutis, illic tumescit. Quibus omnibus rebus maxima perversitas et vultuum deformitas procreatur.

III. De facie prosopalgica.

Prosopalgia, dolor faciei Fothergilli est plerumque chronica rarius acuta affectio erethistica nervorum facialium. Potissimum corripit nervum trigeminum, communicantem faciei, plexum anserinum, nervum infraorbitalem, frontalem, ramum palatinum et alveolarem. Qui dolor, cum maxima vehementia conjunctus, eam ob rem aegrotantium vultibus aliquid proprii tribuit itaque primo adspectu diagnoscitur, praecipue cum morbus jam in majorem saevitiam adscendit. Quo in morbo altera parte dimidia potissimum affecta, faciei perversi aliquid inest, quod latus aegrotans emaciatione laborat. Genae doloris cruciatae plerumque collapsae sunt et propter maciem et eam ob causam, quod multi dentes jam extracti sunt ob dolores, quos habebat aeger rheumaticos dentalgicos. Praeterea tota facies senioris speciei aliquid habet et laxitatis atque genae doloribus affectae saepissime rubescunt et fricationibus excoriatae sunt. Sin autem dolor periodicus invasionem suam facit, saepissime

tactu levissimo procreatus, tum convulsiones et quasi fulgur facialium musculorum adsunt, qui musculi uti electrico ictu conquassati convelluntur. Ita facillime, priusquam aeger de aliqua re conquestus est, cognoscimus malum prosopalgicum.

IV. De facie deliratoria.

Delirium tremens minime gentium, ut nonnulli contendunt, post vini abusum sed tantum ex sicerae uberrima potatione oritur. Si saepius aeger in idem hoc malum jam incidit, tum facies in casu recentiori proprietatem affert minime levissimam. Facies est rubra, tumescens; oculi prominentes paulo rubicundi, pupilla minuta praediti; labia rubra, turgescentia, interdum rimosa; ad quae accedit maxima animi hilaritas, quae omnibus vultibus totoque oculorum habitu manifestata est. In acme morbi invenimus ob congestiones sanguinis ad caput oculos circumvagantes splendentes. Multa loquitur aeger de omnibus quamquam minimis rebus, quae eum circumdant; sed loquitur cum impetu quodam et in certis intervallis atque abrupta verba usque ad nauseam sexcenties repetit. Plerumque, quod officium per totam vitam facere solitus est, id quoque in hoc morbo facere sibi videtur; quare lignarius ligna caedit, miles exercitationes exercet militares, auriga de rebus vehiculariis multa et longa disserit. Saepissime etiam hi homines alacritatis cujusdam ingenii signa proferunt, atque salibus et acutissimis argutiis circumstantes delectantur. Quibus in enarrationibus jucundis interdum pathognomonice quasi existit magnus minimorum animalium

metus; se videre creduut homines mures et feles et scarabeos et culices et muscas aliaque animalia, quae maximo cum labore cupiunt, ut arripere et necare possint. Ita delirat homo jucundissime et maxime ridicule per dies tres, vel sex, vel octo tumque in somnum incidit salutarem, ex quo expergiscitur sanus et omnium rerum, quas dixerat atque fecerat, plane inscius.

VITA.

Natus sum ego Carolus Guilelmus Phemel die XIX. mensis Decembris anni MDCCCXII. hac in urbe. Berolini. Patrem Carolum, regi a consiliis militiae in regno Borussico, optimum et dilectissimum jam per duos annos morte citissima mihi abreptum lugeo atque desidero neque unquam obliviscar. Mater vero carissima Elisabetha e gente Kroehl usque ad haec tempora a Deo maximo optima valetudine praedita filio beneficiis innumerandis obstricto servata est. Ad doctrinas confessionis evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis a domesticis praeceptoribus imbutus, undecimo vitae anno gymnasium adii Berolinense, cui nomen est Friderico-Guilelmum. In quo per sex annos moratus me contuli ad gymnasium Friderico-Werderanum, ubi rite testimonium maturitatis mihi acquisivi. His institutis quanta debeam, lingua non valet exprimere: sed memoriam et gratiam eorum animo servabo et revocabo semper. Illa gymnasia florent et nunc sub directoribus doctissimis, benevolentissimis, humanissimis Spillecke et Ribbeck, qui tanto amore et tanta familiaritate discipulos amplexi sunt, ut ab omnibus tanquam patres honorati sint etiamque a me honorentur. Neque non ceteros docentes optimos Cel. Yxem, Pohl, Dove semper grato animo venerabor. Qui mathematices, illius almae et utilissimae doctrinae, praeceptores praecipue egregiis me circumstrinxerunt beneficiis et quanta mihi praestiterint testimonia humanitatis et liberalitatis, quamquam remunerari nequeam, tamen, ne ingratus videar, quin commemorem non possum. Etiam reliqui juvenis praeceptores: Cel. Wigand, Wendt, Bonnel, Engelhardt, Lange, Benckendorff, Benary, Zimmermann, viri doctissimi, qui ad optima quaeque et praeclara animum puerilem instituerunt, et veterum studio fructifero imbuerunt, ut pro diligentia et opera mihi tributa hasce animi grati effusiones sumant, oro rogoque. Anno MDCCCXXXII. testimonio maturitatis donatus, inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmi receptus sum ibique per quadriennium moratus de variis doctrinarum ad studium medicinae et chirurgiae pertinentium partibus hos viros illustrissimos et celeberrimos disserentes audivi:

Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia, Ill. Link de botanice, historia naturali et toxicologia; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia, anatomia organorum sensuum, splanchnologia, syndesmologia et anatomia universali. Artem mortuorum cadavera rite dissecandi Ill. Mueller una cum Ill. Schlemm me docuerunt. Porro frequentavi praelectiones Cel. Eck de physiologia; Ill. Mueller de physiologia; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis mentis et de syphilide; Ill. Osann de materia medica et de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Kluge de arte fascias applicandi, de chirurgia generali, de ossium fracturis et luxationibus, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Juengken de chirurgia speciali, de akiurgia et de ophthalmiatrice. Ill. Hecker mihi Celsi de medicina libros et Bursèrii institutiones interpretatus est. Exercitationibus clinicis interfui apud Ill. Bartels, Ill. Osann et Cel. Wolff; chirurgicis apud Ill. Rust; chirurgicis et ophthalmiatricis apud Ill. de Graefe; ophthalmiatricis apud Ill. Juengken; nec defui exercitationibus practicis ad medicinam forensem pertinentibus Ill. Wagner. Denique etiam praelectiones ad medicinam veterinariam spectantes frequentavi; de anatomia animalium domesticorum Cel. Gurlt; de morbis epizooticis et de zoodiaeta Cel. Reckleben; de equi lineamentis externis Beat. Naumann docentes audivi; aeque ac de equi morborum curatione institutiones clinicas praeceptore Cel. Hertwig me frequentasse gaudeo.

Omnibus his viris honoratissimis maximam quam possum, gratiam habeo semperque habebo.

Quadriennii studiorum cursu peracto medici inferioris munus in nosocomio Caritatis nunc suscepi atque eo per annum functurus sum.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, dissertatione thesibusque publice defensis, spero, minime fore, ut in me summi in medicina et chirurgia honores ne conferantur.

THESES.

I.

Medicus curat, natura sanat morbos.

II.

Venenum absolutum existere nego.

III.

Supplicia plane rejicienda.

IV.

Magnum morborum numerum ex solo faciei habitu dignoscere possumus.

V.

Arteriis vim non nisi elasticam tribuendam esse contendo.